



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia II. De Magis Christum adorantibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)



# CONTROVERSIA II.

DE

## *Magis Christum adorantibus.*

**N**arrant Sacrae Paginae *Matth. cap. 2.* Magos quosdam ab Oriente Jerosolimam venisse, qui post sedulam inquisitionem in novi Regis incunabula, fulgente novo sidere anteambulone, eundem in Bethleem foeliciter repertum, proni adoraverint: atque apertis thesauris suis, munera, aurum scilicet, thus & Myrrham obtulerint. De his Magis duo controvertantur in eruditorum exedris. Primum an malefici fuerint, id est, malis artibus, incantationibus ac daemorum consuetudini addicti, quales illi Moysis aemuli *Exod. cap. 7.* quae est opinio multorum potissimum antiquorum, & fundatur in sequentibus.

I. Ipsa horum Christi adoratorum infamis nomenclatura, qua ab Evangelista afficiuntur, haud obscure indicat, illos detestabili daemorum consortio fuisse turpiter implicatos. Nam juxta S. Hieronymum in *cap. 2. Daniel.* Magi in communi significatione sunt illi augures & haruspices, qui daemorum invocatione nefandisque incantationibus veritatem ementiuntur. Dum ergo hi ab Oriente cum muneribus appropinquantes, ut Christum venerarentur, ab Evangelista Matthaeo veraciter Magi nuncupantur; in communi significatione pro ejus-

modi incantatoribus haberi debent. Neque enim ille tam infami nomine eos affecisset, nisi Magiam illam diabolicam, quam Gec-tiam aut Theurgiam vocant, professi fuissent. Accedit, quod in Evangelio Hebraico, quale Barradius *Com. in Evang. Lib. 9. cap. 8.* se legisse perhibet, hi magi vocentur praestigiatores, qui scilicet intuentibus ita oculorum aciem perstringunt, ut dolum non advertant. Quo sane non aliud datur intelligi, quam illos fuisse ejusdem furfuris, quos Rex Saul sustulit *1. Reg. 28.* Hinc Magos a professione dictos mavult Adamus Conzen Soc. Jesu non honoris causa sed ut vocatione maximorum peccatorum appareat humanitas & benignitas Salvatoris nostri Dei. Cum enim Magi eodem tempore infames essent, adeoque sapientes gentium ferme Magiae dediti; probabile est hostales fuisse. Neque indignum hoc Evangelio (subjungit citatus interpres) cum *Act. 29.* Magicorum, librorum qui exusti fuerunt, pretium fuerit denariorum quinquaginta millium.

II. Veterum conspiratione, ea, de Magia diabolica fulcitur opinio: quandoquidem plerique Sanctorum Patrum, & primi Aeri interpretum Scripturae Sacrae referunt, Magos, qui Salvatorem infantem procidentes adoraverunt, visam Stellam nova protinus ad fru-

gem



gem rediisse, atque ab illo infami contubernio abstinuisse, quatenus reperio incarnato Deo unice adhærere possent. Hos inter Patres præcipui sunt ? S. Ignatius Martyr in *Epist. ad Ephes.* S. Justinus Martyr in *Dialog. cum Tryphone.* ubi ait. *Magi captivi rapti erant ad omnes improbas sceleratasque actiones.* Tertull. *Lib. cont. Idol.* Origenes *Lib. 1. cont.* Celsum asserens, quod Magi hi dæmonibus assuevissent. S. Basilius *Serm. de Christi Gener.* S. Jo. Chrysostomus *hom. 6. in cap. 2. Matth.* S. Ambrosius in *Lucam.* S. Hieronymus in *cap. 19. Isa.* S. Augustinus *Serm. 5. de Epiph.* S. Hilarius *Lib. 4. de Trinit.* Haymo & Theophylactus in *Matth.* S. Thomas p. 3. q. 36. a. 3. ad 2. Quos omnes in fallam lapsos opinionem fuisse sine temeritate dici nequit: licet falli potuisse non sit absolute negandum. Et sanè placidum est Flacii cavillatoris Illyrici argumentum, quasi exinde Sanctorum Patrum interpretationes minus æstimandæ, dum scribit. *Unde loquetur quam infallibilis sit Patrum Scripturæ interpretatio: sed viderint Colonienfes.* Præterquam enim quod neque Patres hic alibive infallibilitatem sibi arrogant, neque Ecclesia hanc in illis agnoscat; perpetua & serie temporum propagata habet traditio, ut legere est apud Crombachium *Lib. de trib. Reg.* quod Magi Sancto sine quieverint, eorumque Sacra pignora semper in honore habita. Adeoque Colonienfes, etiamsi Magi hi aliquando venefici fuissent, apud se depositas illorum exuvias piè colendas plurimis retro sæculis, ut olim etiam Mediolanenfes, exposuerunt, æquè ac Romani Pauli quondam persecutoris Ecclesiæ, Salernitani Matthæi, antea Publicani Religiosa veneratione afficiendas exhibent Reliquias; quidquid disciplinam altitæ oggannat, qui

*Ingeminat tremulos naso crispante sacbinos. Persius Saty. 3.*

Communior interim ævi nostri sententia viros hos officiosos & in Christum liberales, à tam execrabili, cunctisque proscripita legibus, vindicat arte: qui potius ex eorum fuerunt classe, quos vulgus ob raram rerum naturalium scientiam, seu reconditarum cognitionem Magos appellat, de quibus nulla infamis commercii cum dæmonibus unquam fuit suspicio. Quod non inertibus ostendi poterit argumentis.

I. Quandoquidem duplex sit Magiæ species, una infamis, atque immundorum Spirituum commercii inauspicata, ut loquitur Cælius Rhod. *Lib. 9. Lect. Antiq. cap. 23.* quam Plinius artem vocat incontestabilem, irritam & inanem. Alia rursus Magia est scientia perspectiva juxta Philonem *Lib. de Special. Legib.* per quam naturæ opera cernuntur clarius. Hæc est naturalis Philosophiæ summa & perfecta cognitio, qua imbuti vocantur Magi: eamque ut honestam, expetendamque non solum plebei lætantur; sed viri præclarissimi Pythagoras, Plato, Empedocles aliique multi velut sanctiorem quandam disciplinam incredibili labore atque infatigabili studio conquisiverunt. Quin & Reges, Regumque maximi, Persici tam curiosi harum artium naturalium fuere; ut regnare non liceret, nisi Magia hac probe imbutis; ut apud Tullium legitur *Lib. 1. de Divinat.* Atqui hi Magi ex inspectione syderum naturæ sagacitate etiam futura augurabantur. Quemadmodum verò harum rerum notitiâ instructi apud Græcos Philosophi, seu Gymnosophistæ, apud Judæos Scribæ & Prophetæ, apud Babylonios Chaldaei apud Celtas Druidæ apud Romanos dicebantur Sapientes: sic apud Persas Magi appellari consueverant. Hinc Cicero *Lib. 1. de Divin. Nec quisquam Rex Persarum esse potest, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque perceperit.* Hac sincerè, verè & naturali Magia munifici cultores Christi fuerunt insignes; qui astrarum con-



templationi de diti, non minus quam Palaam Prophetia instructi, ex Stella cæteris illustriori, Deo intellectum juvante, intellexerunt natum Regem Judæorum. Hac de re in Evangelio Syriaco nominantur Magi, nomine quasi proprio. Cardinali Baronio in *Annal. ad Annum Christi 1. n. 30.* Non displicet eadem de Magis opinio, quod Astrologiam coluerint; censet tamen ipsos à Magodia Regione sic nuncupatos. At hujus Regionis apud Cosmographos ullam fieri mentionem negant alii. Quodsi tamen ab Etyologia natalis soli appellationem deducere licebit, non Magos à Magodia, unde Magodi dicti fuissent: sed aptius Magi dicentur ex iis, qui sunt populi ita nominati, sub Caucaſo monte, siti è Regione Bactrianorum, quorum Plinius meminit. *Lib. 6. cap. 23.*

II. Non pauci è Sanctorum Patrum cœtu, sapientia & eruditione conspicui hos incarnari Dei Adoratores eximios negant Fascinatores: quin sapientes fuisse Astrologos seu morûs syderum observatores, calculo & calamo suo confirmant. Ita de iis sentiunt Clemens Alexand. *Lib. 1. Strom. S. Leo Serm. 4. de Epiph.* quibus adjungi possunt Cyprianus, Beda, Anselmus, Iudorus, Rupertus, Lyranus, quos sequuntur moderni communiter Sacræ Scripturæ interpretes: idè quod voces variarum significationum in eo semper sint intelligendæ sensu, quo viris, aliàs famâ integris, minimè noceant. Dum itaque S. Matthæus hosce ex Oriente advenas appellat Magos, benignè interpretandus erit, quod sic nominaverit, quia erant Philosophi Chaldæorum aut Arabiæ desertæ populares Baalami, quemadmodum observat Scriptor recentissimus Augustinus Calmerus Monachus Benedictinus ex Congregatione SS. Vanni & Hyldolphi in *Comment. Latter. in Evangel. S. Matth.* In iis verò, quæ pro contraria opinione ex adverso proponuntur, nihil virum censetur inesse.

Ad Primum respondetur. Quod S. Evangelista pios proceres coram Christo proidentes appellaverit Magos ob rerum Astro-nomicarum scientiam, ut statim fuit observatum, nihil minus intendens, quàm inde gloriam eorum infami nomine obfuscare: siquidem nomen illud, in sua tunc magis usitata significatione, honorificum fuisse, ex Sacra Scriptura liquet. Hoc ipsum, si postea gliscente vanitate, & ad vanitates superstitione delabescente, in malam partem acceptum fuerit, non equidem obscurabit eos, qui olim verà scientiâ magicâ fuerunt celebres: atque in illorum centum referendū, quibus *Artibus ingenius quasita est gloria multis. Ovid. 2. Pont. 1.* Neque obstat illud, quod in Evangelio Hebraico legitur, cui opponi poterit id, quod citatum habet Syriacum.

Ad Secundum respondetur. Quodsi allegatis Patribus ea de Magis opinio infederit, atque in minus tunc usitata significatione nomen illud intellexerint, non sunt quidem exinde criminandi; adedque Rhodiginus, eorundem sententiam severius castigando, temeritatis notam incurrit: ab illa tamen, præsertim quia opposita validioribus nititur rationibus, recedere licebit. Pythagoræ olim tanta veneratio tributa fuit, ut quæ ab eo acceperant Auditores, in disputationem ducere nefas putarent. Qui etiam interpellati ad causam reddendam, hoc solum respondebant, ipsum dixisse. *Magnus honor: sed Scholasticus* inquit Valer. Max. *Lib. 8.* Hac reverentia, ut Solis Sacræ Scripturæ libris Canonicis tribuenda; sic in quæstionibus Philologicis ratio congrua præstat auctoritati veterum. Honorificentius de Magis senserunt alii, quod suadet pietas ipsa, quæ erga illos, utpote viros Sanctos, habenda est.

Aliud quod de his viris in Controversiam venit, est. An fuerint Reges. Negant ex Recentioribus Bapt. Mantuanus, Cornel.

Jan-



Janfenius, Jo. Molanus, Aug. Calmetus, dubitat Nanus Tillemontius. Quorum argumenta sunt.

I. Evangelista minimè Reges appellat Christicolas ab Oriente venientes in Judæam; appellaturus utique, si tales fuissent; quandoquidem ad pueri nati honorem & gloriam venerantium dignitas Regia plurimum addidit. Neque ullo antiquitatis suffragio ea suprema dignitas iis obvenit, qua, dum sæculis posterioribus eos afficere placuit, traditionis novitas insufficientis est, ut non nimium credulis hanc persuasionem insculperet.

II. Magi Jerosolymam venientes neque ab Herode, neque à civibus tanquam Reges fuerunt recepti, seu eo apparatu & honore quem Regia exigebat magnificentia, maiestati. Imo Herodes imperiosè illos affatur, jubetque ut eant, diligenter in adorandum inquirant, sibi que repertum Regem Judæorum natum intinuent. Qui loquendi agendique modus inter Reges omnino insolens. Atque hac ratione potissimum sibi persuasum habere volunt tum citati, tum alii Authores, ut Magis Regios honores adeptum eant.

Plausibilior tamen, magisque recepta apud Honoratum à S. Maria *Reflex. tom. 2. Lib. 3. differ. 4.* fert opinio, Orientales hosce veri Dei cultores Reges extitisse, quæ his fulcitur rationibus.

I. Spiritus Sanctus per os Prophetarum prædixit, Reges Tharsicos, Sabæos, Arabios Messie oblaturos munera: non possunt autem alii Reges allegari, per quos hæc Prophetia fuerit verificata & adimpleta; itaque hi ipsi Magi fuere Reges illi, de quibus fertur Oraculum.

In eo tamen quidpiam virium inesse multi inficiantur. Licet enim in officio Ecclesiastico hæc Prophetia his Magis applicetur ex *Psal. 71. Reges Tharsis & Insule munera offerent, Reges Arabum & Saba dona addu-*

*cent, Item ex cap. 60. Isaia. Et ambulabunt gentes in Lumine tuo & Reges in splendore ortus tui.* Unde opinio popularis videtur ortum traxisse Magos illos Reges fuisse. Verùm in versu Psalmi multi observant, significari quatuor terræ plagas ad Christum convertendas: in altero Urbis Jerosolymitanæ eminentiam prædici volunt. Non esse autem illa propriè dicta de his, qui venerunt adorare Christum in Bethlechem manifestum apparet, quod ii nequaquam venerint ex Saba, aut Arabia, quæ loca respectu Jerusalem planè sunt in Meridie, non verò in Oriente, unde Magi dicuntur venisse.

II. Magi ab Oriente viam longissimam aggressi sunt. Quandoquidem Chrysostomus, Ambrosius, Leo Papa illos remotioris Orientis incolas, & gentem in longinquis Orientalis plagæ Regionibus sitam appellent; imo ex finitima Orientis parte venisse, plerique disertè affirmant. Ad illud verò iter sumptuosum perficiendum privati Philosophi facultates minimè sufficiebant. Deinde Regem Regum natum suppliciter adoraturi Jerosolymam venerunt; quod soli Principes; tanquam Supremo Domino homagium præstituri, facere consueverant. Addit Evangelista, quod Thesuros suos aperuerint; id quod propriè Regibus competit. Quod si Magi Reges non fuissent, sed personæ privatae, tanquam publicæ quietis perturbatores fuissent comprehensi; jussuque Regis Herodis in crucem acti. At hic illos dimisit: eisque dixit, ut tibi quæsitum, inventumque Regem indicarent, quatenus pari adoratione ipsum venerari posset. *Ut & Ego* (verba sunt panurgi) *veniens adorem eum. Ego.* quia Regia dignitate quoque polleo, cum cæteris Regibus, quem omnes Reges terræ adorare debent, hunc adorare cupio.

III. Univerfus populus Christianus plurimis retidè sæculis piè constanterque credidit, Magos



Magos hos fuisse Reges; quod picturis expressit, quæ reperiuntur passim in variarum Provinciarum templis antiquissimæ. Ipsa certè Ubiorum Colonia, quamprimum à Friderico Barbarossa Anno 1163. (alii sequentem annum assignant) horum Magorum Sacra pignora per Reinoldum Archiepiscopum suum recepit, mox abolito scuto gentilitio seu Agalmate suo, novum assumpsit, cui tres Coronas Regias, in memoriam horum Regum, Urbis patronorum jam adlectorum, gloriabunda imposuit. Neque defunt ex alta antiquitate Scriptores, qui Magos illos fuisse Reges asseruerunt. *Magos Reges*, inquit Tertullianus, *ferè habuit Oriens: & Damascus Arabia retro deputabatur antequam transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum, cujus tunc virtutem Christus accepit, accipiendo insignia ejus, anrum scilicet & odores.* Author Vetus. *Lib. de Baptismo Christi*, qui sub nomine Cypriani latet. Reges fuisse Magos, Christum adorantes, clarè edisserit: non item S. Chrysostomus, quem scribentem, quod Christus suo ortu ad se traxerit Regem Persarum, aliqui interpretantur, quod Magi hujus potentissimi Monarchæ consensu, apud quem plurimum ob sapientiam acquisitam valebant, venerint ad Christum in cunabulis adorandum. His alii Augustinum, Hilarium & Hieronymum adjungunt. Apertè Reges pronuntiant Zacharias Chrysopolitanus, Euthymius, Prosper, Eucherius, Theophilactus, Paschasius Radbertus, qui in *Matth. 2.* scribit *Magos Reges extitisse, nemo, qui Historias legit, ignorat.* Haymo, Anselmus, Rupertus, Arnolphus Carnotensis, Author. 12. Tractatum de virtutibus Cardinalibus Christi, perperam Cypriano adscriptorum, Nicolaus Lyranus &c. apud cit. Honoratum.

Ad ea, quæ scrupulum aliquem injicere videntur, responderi poterit cum Melchiorre Cano *Loc. com. Lib. 11. cap. 5.* Evange-

listam scilicet Magos illos non appellasse Reges, quia non existimabat Evangelii testimonium Regio apparatu cumulandum, quod Magorum sapientiam & gravitatem amplissimè ornaverant. In veritate, sanè occulta confirmanda, Regia appellatio obscura & odiosa erat; Magorum vox præclara & opportuna. Itaque Reges non nominantur hi Magi; sicut nec amici Job in hujus Libri Historia, bene tamen in Libro Tobie: prætulitque Evangelista Magi nomen, quo tacitè rationem voluit reddere, cur ex Stella natum Christum agnovissent. Hinc magnum Christi Divinitatis argumentum colligebatur, cum cernerent in fideles illum adorati ab his, quos velut indigetes seu mediocimos colerent & admirarentur. Regis autem ad hoc exemplum infirmius videri poterat, quia Reges sapè rerum sublimium ignari celestium contemplationi parum vacabant.

Quod de Herodis intermissa honorificatione illiusque loquendi modo, ac Magorum promiscua receptione obtenditur, nil officit. Quis enim factum Herodianum ignorabat, cujus superbia

*Majorem indignata paremque  
Imperia usurpans, Regni que libidine fer-  
vens*

Eo usque ascenderat, ut præ se uno neminem agnosceret Regem. Cumque subitus pavor & trepidatio illum invalisset, immemor hospitalitatis atque debitæ observantiæ, unum illud agitabat animo, qua ratione Regnum sibi stabiliret, recens natum Regem tolleret, remotos illos Arabiæ regulos non curabat. Ipse receptionis & loquendi modus, aut Herodiani factus indicium est, aut Romanæ Majestatis & gloriæ inquit citatus Canus.

Neque obstat replicatio, quominus allegati Scripturæ Sacræ Textus applicari possint Magis Christum adorantibus; prout applicarunt



applicarunt Tertullianus *Lib. contra Judæos cap. 9.* & Author *de virt. Cardinal. Epiphanius in Compend. Doctrina* aliique plures. Obgannit quidem Joannes Calvinus & naso suspendit adunco hujusmodi applicationem, quasi per eam ex Occidente & Meridie fiat Oriens. Sed turpi falsæ opinionis errore labitur. Oriens hic strictè non accipitur pro regione, ubi Sol oritur apud extremos Indos, acsi inde Magi venissent: quin potius pro illa plaga terræ, quæ Judaicæ regionis comparatione erat Orientalis; quemadmodum frequenter in Scriptura Sacra comparatur. Sic Job dicitur magnus inter Orientales in terra Hus. Jacob refertur ivisse in terram Orientalem, id est, Mesopotamiam *Gen. 25.* Et nos in civitate degentes, portam Orientalem illam nuncupamus, attento loco civitatis, cujus pars, ea, quæ Solis ortum respicit, Orientalis dici a solet. Hoc sensu Magi ab Oriente venisse dicuntur, ab ea scilicet regione, quæ sita est ad Orientem Judææ. Qua ratione Tacitus & passim Cosmographi statuunt Judæam ab Oriente respicere Arabiam. Magi, ut Jerolymis effati sunt, viderant nati Regis Stellam indicem in Oriente: at illi in extremo non morabantur: adeoque sensus est illius *Magi ab Oriente venerunt.* Nos qui in Orientali plaga degimus, deprehendimus astrum illud lucidissimum Judææ perpendiculariter imminere, *Vidimus Stellam ejus in Oriente*, indeque colligimus Regem in hac regione natum esse, de quo quærimus, ubinam locorum moreretur. Atque sic interpretantur viri in Ecclesia Dei magnâ religionis & Sanctitatis laude florentes. Quos divina vindicta in reprobum sensum permisit abire ductu privati sui Spiritus, in Ecclesia contemptibiles, falsè perstringunt Præsules.

Eandem traditionem receperunt Flacius Illyricus & plurimi Luthericolæ, nonnulli etiam Calvinii Sectatores, inter quos Daniel Postanus. Quanquam autem non conve-

niant omnes, è qua regione nominatim ducti sint Magi, constans tamen est opinio è longinquo venisse. Quidam ex Persia iter arripuisse volunt. Alii è Mesopotamia, seu Chaldæa, venisse arbitrantur; quia à majoribus docti scientiam Astronomicam, ac Balaam oraculis instructi; in cognitionem luminis syderei, atque illius, quod erat ad revelationem gentium, facilius pervenerunt. Quidam ex ipsa Arabia ductos autumant, conformiter Davidis vaticinio, de quo supra. Non quidem ex Arabia deserta, quæ cultores ignorat, nec ex Petræa, quæ Meridiem spectat, sic dicta à Petra, vetustissimo oppido, nec multum à Judææ limitibus distita. Sed ex Arabia fœlic. Atque in hanc sententiam descendunt vetustissimi Scriptorum, Justinus, Tertullianus, Cyrillus, Cyprianus. Hoc ipsa donorum oblatorum ratio persuadere videtur: quia Arabia fœlix auri & aromatum ferax à Plinio describitur, qui solam ferè Arabiam thuris fecundam matrem agnoscit. Pronum itaque est conjecturare, ab his Regibus suæ regionis opulentias, fulva montium viscera, & fragrantès Arabicarum arborum lachrymas Christo Regi in munus delatas. Sunt alii, qui ex Asia, Africa & Europa venisse autumant, juxta V. Bedam.

Porro Magos illos Orientales, licet Reges fuisse Scripturæ Sacræ autoritate ac interpretum suffragio verisimilius appareat; nemo tamen facile crediderit, fuisse Reges potentissimis Monarchis Persarum, Medorum &c. comparandos. Sed neque Judæorum Regi æquiparandos, ex eo colligi poterit, quod Evangelista de illis scribat? *Qui, cum audissent Regem.* Quod non satis aptum dici potuisse videtur, si & Magi fuissent Reges similes: Fuerunt autem Reguli, ut illi amici Job, & *Genes. 14.* ab Abrahamo prostrati, item Evangelicus ille *Joan. 4.* scilicet Dynastæ, qui pleno jure in subditos uterentur. Hinc Strabo observat Dynastas etiam

C Reges



Reges vocari propterea, quod plurimum possint, polleantque: & quod populos, quod velint, aut vi aut persuasione perducant; qui olim vocabantur Tyranni, licet postea illud nomen fuerit restrictum ad eos, qui per insolentiam imperii viribus utebantur, & vi animique libidine dominabantur.

Mantissa sit, quod tres communiter Magi constituentur, Christi incunabula visitantes. Ternarium numerum perpetuo tradidit Urbiorum Metropolis, eundemque plus, quam decem ex vetustissimis primitivi Christianissimi monumentis ostendit Antonius Bossius apud Aedidium Gelenium, *Lib. 3. de Colon. Magnit. Synt. 1. §. 5.* Alii tamen observant, quod primus antiquorum S. Leo Magnus *Serm. 4. de Epiph.* totidem numeraverit, ubi ait. *Tres itaque viri, fulgore insoliti sideris divinitus excitati, prævium micantis Luminis ductum sequuntur.* Quibus autem argumentis hæc vulgaris, in potiore antiquitate haud fundata, opinio nitatur, non usque adeo liquet. Ex Ternario numero donorum, offerentium numerum, qui cruere nituntur, tenui sanè probabilitate ducuntur. Neque major obvenit ex citato textu Scripturæ. *Reges Tharsis & Insula muneribus offerunt Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges terra.* Quasi ex illa ter repetita Regiæ dignitatis appellatione Tertiarius Magorum numerus indicaretur. Sunt, qui quatuordecim, alii duodecim fuisse dicunt, ut Author operis imperfecti.

De eorundem nominibus nil certi statui potest. Apud Petrum de Natalibus Hebraicè dicuntur Apellius, Amerius, Damascus, id est. Fidelis, humilis, misericors, Græcè autem Balgalat, Malgalat, Sarachin. Quæ glossata unde hauserit, quis divinabit? Casaubonus in quodam codice Græco Bibliothecæ Heidelbergensis legit horum nomina. Ator, Sator, Peratoras. Venerabi-

lis Beda refert, quod passim jam recipitur, quod unus fuerit vocatus Melchior (Latinum vult esse cum aliis duobus nominibus citatus Petrus) qui fuerit senex, canus & barbâ proluxâ. Alterius nomen Gaspar, seu, ut nostrates scribunt, Caspar, juvenis procerus & facie rubicundus. Tertii Balthasar, fuscus & integrè barbatus. Hunc nigredine fuscum depingi, valde recens videtur Molano *Lib. de pict. & imag. cap. 57.* qui in picturis paulò vetustioribus omnes tres candidos depictos se observasse scribit; atque in testem profert Wilhelmum Lindanum *Lib. 4. Panopol. cap. 100.* sic loquentem. *Porro quod de Magis illis vulgò creditur, unum fuisse Æthiopem, eadem videlicet ad traditionem medi generis (de quibus pridem respondit Hieronymus eadem facilitate hæc contemni qua dicuntur) referendum putarim. Equidem quod Ecclesia Colonienfis eisdem candidos pingat. Qui picturas encausticas vetustissimas in fenestris templi Metropolitaniani observabit, reperiet, non uno in loco, tertium ex Magis Æthiopem. Verùm his diutius immorari supervacaneum. Gloriatur Colonia Agrippina de suo Thesauro jam ab annis sexcentis propemodum sibi concredito, ut vel ipse Franciscus Collius Mediolanensis Ambrosiani Collegii Doctor lubens dolensque fateatur. Cùm enim Fredericus Imperator Urbis Mediolanensis effranis domuisset Spiritus, Sacra pignora paucis ante annis in suburbano S. Eustorgii Monasterio augustissimo reperta; atque hostium metu in urbem inde traducta, Reinoldus Archi-Episcopus ab Imperatore obtinuit. Quæ ab eodem Præfule in Germaniam singulis loculis deportata, ac summa cum populi gratificatione in Divi Petri maximo Templo, Venerabili imprimis & opulentis pretiosisque Magnatum donariis illustri, post conditorium tuere reposita. Cæterum multa licet, quæ de iisdem Magis referuntur incerta; hoc unicum, ut certissimum*



num Electoralis illa Metropolis deprædicat, semper divorum suorum Patronorum in necessitatibus imploratum auxilium, tempore opportuno, sensisse validum. Quare ulteriore concertatione supercedendum, ne immodica rerum consecratio utilis excedat curiositatis limites. Veriverbium siquidem est Stobæi Serm. 20. *Gratae sunt contentiones hominibus, & contradicendo quâcunque re propositâ, vincendi desiderium auferunt.*

*præter omnem rationem inexplebile. Itaque multi intempestivè, præter decorum in rebus gravissimis, in quibus deteriorem sententiam superare non convenit, victoriam cadmeam, ut dici meretur, auferunt.*



C 2

CON-